

fluctuum ejus. Sed Septuaginta videntur non legisse מַשְׁבִּיחַ *mashbiach*, quod est *mitigans*, sive *compescens*, sed מַבְחִיחַ *mabhith*, quod est *conturbans*, et tunc sensus erit: Tu conturbas profundum maris, excitans sonitum fluctuum ejus. At si non videatur verisimile Septuaginta legisse *mabhith*, pro *mashbiach*, at textus græcus et latinus cum *hebræo* conveniant, et unus explicetur per alium, per illud verbum, *conturbans*, non erit intelligenda *commotio* et *conciatio* tempestatis maris, sed *comminatio* et *terrefactio*, qua compescatur fremitus maris: quo modo Dominus comminatus est mari turbato dicens: «Tace, obmutesce,» *Marc. iv.* Confirmatur hæc expositio eo quod idem verbum, *conturbans*, refertur etiam ad sonitum fluctuum ejus. «Qui conturbas, inquit, profundum maris, et conturbas sonitum fluctuum ejus;» non recte autem diceretur, qui conturbas sonitum fluctuum, nisi sensus esset: Qui terrendo et comminando compescis sonitum turbati maris. In hebræo eadem vox habetur, שֹׁאֵן *sheon*, cum dicitur in latino *profundum*, et cum dicitur *sonitus*; quare pro profundum intelligere debemus hoc loco *frenitum maris*, qui ex imo mari erumpit; denique per sonitum fluctuum, altiozem vocem, quam fluctus turbati maris emittunt. Illud etiam non est omittendum, in hebræo haberi omnia in tertia persona: Preparans montes in virtute sua, Deus videlicet, accinctus potentia, conturbans, sive compescens fremitum maris, sonitum fluctuum ejus. In editioe latina habentur in secunda persona, sed sensus est omnino idem.

**VERS. 8.** 8. TURBABUNTUR GENTES, ET TIMEBUNT QUI HABITANT TERMINOS A SIGNIS TUIS; EXITUS MATUTINI ET VESPERE DELECTABIS.

Quemadmodum versiculo superiore potentiam Dei Propheta ostendat ex montium stabilitate et fluctuatione maris, ita in hoc versiculo demonstrat sapientiam Dei, qui coelestibus signis nunc terret, nunc exhiberat humanum genus. «Turbabuntur, inquit, gentes,» omnes videlicet gentes universæ terre. Id quod explicat clarius, cum subiungit: «Et timebunt qui habitant terminos,» id est, turbabuntur et timebunt omnes homines usque ad illos qui habitant terminos terre. Turbabuntur autem et timebunt «a signis tuis,» id est, a coruscationibus, tonitruis et fulminibus coelestibus, juxta illud, *I Reg. II*: «Formidabat Dominum adversarii ejus, et super ipsos in caelis tonabit;» nihil est enim horribilius et formidolosius, et quod fortissima etiam pectora metu concutiat et dissolvat, quam fulmen caeleste. Sed idem Deus per ortum et occasum solis humanum genus mirifice recreat; nam oriente sole relectis artibus homines læti ad opera exeunt, et occidente sole fatigati respirare incipiunt, et rursus nihil jucundius ortu fulgentissimi et pulcherrimi luminis; nihil item delectabilius conspectu cæli, sideribus innumerabilibus quasi gemmis pretio-

sis ornati. «Exitus, inquit, matutini et vespere delectabis,» id est; exortum auroræ et crepusculi vespertini delectabilem facies. In hebræo, pro *turbabuntur gentes*, habetur *multitudo gentium*; sed Septuaginta Interpretes non legerunt הַמָּוֶן *hamon*, quod *multitudinem* significat, sed הַמָּוֶן *hamu*, quod significat *turbati sunt*. Illud autem, *delectabis*, in hebræo est, תִּרְנֵן *tharnin*, quod est *laudare*, sive *jubilare facies*, quod intelligi debet efficienter, non formaliter; dicitur enim aurora et vespera *laudare*, seu *jubilare*, quia facit homines præ lætitiâ exultare et laudare. Sicut etiam cum dicitur in textu latino: *Delectabis exitum matutini et vespere*, intelligi debet per figuram, quia exortus auroræ et vespere delectat homines illa varietate et vicissitudine noctium ac dierum. Miratus sum cur quidam ex recentioribus vir doctus scripserit, pro voce *exitum*, in hebræo esse vocem, quæ ad solum diem exortum referatur, et non possit referri etiam ad exitum noctis; nam מֵצֵא *motsa*, *exitum* in genere significat, a verbo מָצָא *atsa*, quod est *exire*. Et si *exitus* in hebræo significaret *ortum diem*, non fuisset opus addere בֹּקֶר *boker*, quod *tempus matutinum* significat, ut revera in textu hebræo est additum. Sic enim habetur ad verbum: *Exitus ipsius mane, et ipsius vespera laudare facies.*

9. VISITASTI TERRAM, ET INEBRIASTI EAM; MULTIFICASTI LUCULETARE EAM. **VERS. 9.**

Laudavi potentiam et sapientiam Dei, nunc adjungit laudes bonitatis, sive beneficentiae ejusdem, quæ maxime ostenditur in admixtione terre et aquæ, ex qua oriuntur omnes fructus terre, sine quibus hæc vita non ducitur. Terra enim si non irrigetur aquis, et aqua nisi misceatur terræ, nihil omnino producit. «Visitasti, inquit, terram,» quæ per se «erat inanis et vacua,» sed visitatione tua facta est fecunda et plena. Visitatione enim Dei efficax est, et non simplex visio, sed provisio. Explicat quomodo visitavit terram, dum adjungit, «et inebriasti eam,» id est, aquis ad satietatem irrigasti, et hæc irrigatione «multiplicasti locupletare eam,» id est, multum valde illam locupletem, et copiis omnibus refertam reddidisti.

10. FLUMEN DEI REPLETUM EST AQUIS; PARASTI CIBUM ILLORUM, QUONIAM ITA EST PRÆPARATIO EIUS. **VERS. 10.**

Explicat idipsum clarius: per flumen rivi aquarum intelligendi sunt; nam in hebræo est, בְּרֵי *phery*, quod *divisionem* significat. Itaque sensus est, *flumen Dei*, id est, rivi aquarum a Deo effecti ad irrigandam terram, *pleni sunt aquis*, ex divina Providentia et benignitate; sic enim ita «tu, Deus, preparasti cibum eorum,» id est, hominum et animantium cæterorum; «quoniam ita est præparatio ejus,» id est, quoniam sic fundata et disposita est terra, ut per aquarum irri-

gationem fecundetur, et fructus suos pariat.

**VERS. 11.** 11. RIVOS EJUS INEBRIA, MULTIFLIGA GEMMINA EJUS: IN STILLICIDIIS EJUS LETABITUR GERMINANS.

Rursus aliis atque aliis verbis idem beneficium Dei extollit. Sed hoc loco per *rivos* intelliguntur sulci terrarum, ut ex hebræo textu perspicitur; et textus quem sanctus habuit Augustinus, *sulcos ejus* legit. At igitur: «Rivos ejus inebria,» id est, perge, Domine, et sulcos terre abundanter riga fluentibus aquis; et sic «multiplicata gemmina ejus,» herbas, fruges, plantas; «in stillicidiis ejus,» id est, pluvia Dei desuper cadente, «letabitur terra «germinans.»

**VERS. 12.** 12. BENEDICES CORONÆ ANNI BENIGNITATIS TUE, ET CAMPI TUI REPLEBUNT UBERTATE.

Benedicendo benefacies totius anni revolutioni, quæ instar *coronæ* variis floribus ornata a tua benignitate quasi semper renovatur, et ex hac benedictione «campi tui,» a te conditi et fecundati, «replebuntur» abundantia omnium honorum.

**VERS. 13.** 13. PINGUESCENT SPECIOSA DESERTI, ET EXALTATIONE COLLES AGGIGNENTUR.

Nec solum campi aratione et salione culti replebuntur ubertate frugum, sed etiam loca deserta, quæ solis pascuis deserviunt, et speciosa præ cæteris sunt ex multitudine et varietate herbarum et florum, quæ sponte funduntur a terra; pinguescent caelesti rore, et colles pariter deserti et inculi herbescente viriditate ita vescentur, ut ex omni parte lætari et exultare videantur.

**VERS. 14.** 14. INDUTI SUNT ARIETES OVIVM, ET VALLES ABUNDABUNT FRUMENTO: CLAMABUNT, ET ENIM HYMNUM DICENT.

## PSALMUS LXVI

## SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — In finem, 1. Canticum Psalmi resurrectionis.

Jubilare Deo, omnis terra;  
2. Psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

3. Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

4. Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo.

5. Venite, et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.

6. Qui convertit mare in aridam, in flumine

In summa fecunditas erit maxima, et multiplicatio tum pecorum, tum frugum. In hebræo sic legitur ad verbum: *Induti sunt agni pecore*, id est, pusillus grex, qui quasi nudus ob paucitatem videbatur, tanta multitudine pecoris circumdabitur, ut vestitus multiplici indumento videatur. «Induti sunt arietes ovium,» id est, ovibus multiplicatis vestiti sunt arietes, sive agni, qui pauci antea erant. Alii tamen referunt hæc verba ad velleria, quibus induuntur pecora, quando bona pasceva inveniunt. Sed qui ita exponunt, non considerant verba hebraica, quæ non habent *arietes ovium*, sed *arietes*, sive potius *agni pecore*, sive *ovē induti sunt*. «El valles abundabunt frumento,» id est, loca deserta abundabunt autem, et valles cultæ abundabunt frumento; omnia autem, sive colles, sive valles, sive campi exculti, sive deserti, sive pecora, sive fruges, suo modo clamabunt in laudem Dei, imo etiam quodam modo hynnum cantabunt conditori et benefactori suo. Porro res omnes create specie sua clamant et canunt: ut homines, quorum usus deserviunt, et mente et voce Deum laudent, eique perpetuo gratias agant. Hæc omnia sanctus Propheta in laudem potentiae, et sapientiae, et bonitatis Dei cecinit, ut inde argumentum duceret, quo probaret sperandum esse, et cum fiducia petendam liberationem a captivitate, et revocationem in patriam. Sed possunt etiam mystice exponi de vocatione gentium, et beneficiis Dei in Ecclesiam, ut S. Augustinus et Theodoretus tradunt: qui Theodoretus recte Judæos redarguit, quod fabulenter hæc omnia impleta fuisse in terra Palestina post reversionem ex captivitate: tantum enim abest, ut post reditum ex Babylone terra illa fecundior fuerit et beator, ut potius in deterius semper alierit.

Quæda nos ad laudem Dei commendam hortantur.

V. s. h. — Victori, Canticum Psalmi.

Jubilare Deo, omnis terra. Cantate [h. psal-ite] gloriam nomini [al. nominis] ejus.

Date gloriam laudi ejus. Dicite Deo: Quam terribile opus tuum! in multitudine fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et cantet [h. psallat] tibi, cantet [h. psallat] nomini tuo. SEMPTE.

Venite [h. ite], et videte opera Dei, terribilia consilia super filios hominum [h. Adam].

Convertit [al. convertet] mare in aridam,

pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso.

7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt : qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

8. Benedicite, gentes, Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus.

9. Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.

10. Quoniam probasti nos, Deus : igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

11. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro : 12. imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

13. Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea, 14. quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, in tribulatione mea.

15. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum; offeram tibi boves cum hircis.

16. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

17. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.

18. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

19. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.

20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

*Argumentum.* — Gradiarum actio post populum ex insigni quadam calamitate liberatum. Maurero quidem carmen cantatum esse videtur a reductis de exilio Babylionico, vers. 10 seqq., eo tempore quo reparatum erat templum; vers. 13 seqq., fortasse in ipsa reparati templi consecratione. Hinc tamen opinio nonnulla proponit Hengstenberg, quem vide. Venena illud retulit ad Isai. xxvii, 36 seqq. et xxxvii seqq. Tandem Ewaldus non unum Psalmum, sed duos esse existimat, quorum prior vers. 1-12, posterior vers. 13-20 constat. Stropha tres: vers. 1-7, celebratæ Deum ob præterita beneficia; vers. 8-12, ob recens beneficium; vers. 13-20, promissa Deo offeramus sacrificia, qui preces nostras audit. Stropha prima efficit proemium.

#### 1. Præcentori, canticum, Psalmus.

Jubilare Deo, omnis terra.

2. Canite gloriam nominis ejus, reddite gloriam (gloriosam) laudem ejus.

3. Dicite Deo : Quam terribilis est opus tuum (admiranda facinora tua) ! Propter magnitudinem potentiae tuæ adulantur tibi hostes tui.

4. Universa terra se prosternit tibi, et canit tibi, canit nomen tuum.

in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in eo.

Qui dominatur in fortitudine sua a sæculo, oculi ejus super gentes aspiciunt; qui increduli sunt, non exaltentur in semetipsis. SEMPER.

Benedicite, populi, Deo nostro, et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam nostram in vitam, et non dedit in commotionem pedes nostros.

Probasti enim nos, Deus : igne nos conflasti sicut conflatur argentum.

Introduxisti nos in obsidionem [al. in rete] : posuisti stridorem in dorso nostro [h. lumbis nostris] : imposuisti homines super caput nostrum.

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

Ingrediar [al. ad. in] domum tuam in holocaustis : reddam tibi vota mea, quæ promiserunt [h. distinxerunt] labia mea, et locutum est os meum cum tribularer.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : faciam boves cum hircis. SEMPER.

Venite [h. ite], audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecerit animæ meæ.

Ipsam ore meo invocavi, et exaltavi in lingua mea.

Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Ideo exaudivit Deus : et attendit vocem deprecationis [h. orationis] meæ.

Benedictus Deus, qui non abstulit orationem meam, et misericordiam suam a me.

5. Venite et videte opera Dei : terribilis est facinore (facinoribus) in hominibus.

6. Convertit mare (Rubrum) in aridum; fluvium (Jordanem) transiere majores nostri pede sicco : quapropter lætemur eo (Deo).

7. Dominatur ille potentia sua perpetuo; oculi ejus in gentes prospectant (eas observant) : refractarii non exaltant caput sibi.

8. Benedicite, populi, Deum nostrum, et edite vocem laudis ejus :

9. Qui posuit animam nostram in vitam, nec dedit ad nutandum pedem nostrum.

10. Nam (inflicis nobis calamitatibus) explorasti nos, Deus; probasti nos (in fornace miseriæ), sicut probatur argentum.

11. Induxisti nos in rete (angustias); posuisti oppressionem (grave onus) in lumbis nostris.

12. Equitare (sedere) fecisti homines capiti nostro; intravimus in ignem et in aquam (extrema pericula), et inde eduxisti nos ad irriguum (alii, abundantem) locum.

13. Veniam in domum tuam cum holocaustis, persolvam tibi vota mea :

14. Quæ (vota) aperuerunt labia mea, et locutum est os meum in angustia mea.

15. Holocausta pinguium ovium (propr. pinguedines) offeram tibi cum suffitu (adolendo adipe) arietum, offeram boves cum hircis.

16. Venite, audite, et enarrabo, omnes Dei cultores, quæ fecit animæ meæ (mihi).

17. Ad eum ore meo clamavi, et celebratio erat sub lingua mea.

18. Iniquitatem si aspexissem (meditatus essem) in corde meo, non auditurus me fuisset Dominus.

19. Verum audivit Deus, attendit ad vocem precum mearum.

20. Benedictus sit Deus, qui non amovit a se preces meas, et (nec) gratiam suam a me.

#### NOTE.

Vers. 2. Aben-Ezra, ponit gloriam laudem ejus, i. e. pro summa gloria ducite Deum laudare. — Vers. 4. Alii, prosternat, canat. — Vers. 5. Facinore, gall. par ce qu'il fait sur les hommes, impiis præsertim. — Vers. 6. Quapropter : multi, ibi lætati sumus, etc. — Vers. 10. Probasti, propr.טיפעפערעסט. — Vers. 11. Lumbi, pro dorso : imago petita a jumentis. — Vers. 12. Equitare, etc. i. e. hostibus nostris nos subjecisti. Ignem, etc. Cf. Isai. xliii, 2; Jerem. vi, 9, etc. — Vers. 14. Aperuerunt, ut quæ sit subjectum : alii, enuntiarunt... et quæ edixit os meum, etc. — Vers. 17. Celebratio, propr. elatio, puta vocis. Sub lingua dicuntur esse verba, quæ quis in ore parata habet; contra super lingua est id, quod quis in presenti proloquitur. Aliis sensus est : Deum olim invocavi, et nunc illum effere possum laudibus, nam precibus meis satisfacit. — Vers. 18. Pro iniquitatem, Maurer vertit vana, i. e. falsos deos.

BELLARMINI EXPLANATIO.

## PSALMUS LXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

*In finem, Canticum Psalmi resurrectionis.*

Non habetur in hebreo nomen *resurrectionis*, neque legitur apud Hilarium; et Theodoretus testatur non esse in editione Septuaginta Interpretum, sed postea additum. Legitur tamen a SS. Patribus Hieronymo et Augustino in Commentario hujus Psalmi, et videtur hæc unica vox, a quocumque addita sit, prudenter addita, ut indicaret argumentum Psalmi. Argumentum enim Psalmi est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfecta felicitate post omnes finitas calamitates: quod sine dubio in resurrectione erit.

## EXPLICATIO PSALMI.

VERS. 1. 1. JUBILATE DEO, OMNIS TERRA; PSALMUM DICITE NOMINI EJUS: DATE GLORIAM LAUDI EJUS.

Invitat ad jubilandum et psallendum Deo omnem terram, id est, omnes electos ex universa terra vocatos, quia communis erit causa letandi in communi resurrectione iustorum. Tria vult exhiberi, jubulum, sonum psalterii et vocem humanam. Jubulum, quod magis in affectu quam in verbis positum est, recte tribuitur Deo. «Jubilat Deo.» Deo enim, qui spiritus est, spirituale desiderium maxime convenit. Sonitus psalterii debetur nomini, id est, fame, sive glorie Dei. «Psalmum dicite nomini ejus,» vel, ut clarius habetur in hebreo, *psallite gloria ejus*, id est, pulsate psalterium in gloriam ejus. Denique vox humana divina laudi tribuenda est. «Date gloriam laudi ejus,» id est, nolite gloriam vobis sumere, vel tribuere, sed totam date laudi ejus, vel, ut habetur in hebreo, *ponite gloriam in laude ejus*, id est, hæc sit gloria vestra Deum perpetuo laudare, et in ejus laudibus gloriari.

VERS. 2. 2. DICITE DEO: QUAM TERRIBILIA SUNT OPERA TUA, DOMINE! IN MULTITUDINE VIRTUTIS TUE MENTIENTUR TIBI INIMICI TUI.

Hæc est materia laudis Dei, opera summæ potentie et sapientie. «Dicite Deo,» dum eum laudare vultis: «Quam terribilia sunt opera tua, Domine!» id est, opera tua præ magnitudine sua terrorem omnibus incutiunt. «In multitudine virtutis tue, mentientur tibi inimici tui,» id est, tanta est virtus et potentia tua, ut mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te multo etiam minora non posse jaculant. Exempla sunt in Scripturis non pauca, *Psalm. LXXVII*: «Male, inquit, locuti sunt de Deo; dixerunt: Numquid poterit Deus parere mensam in deserto? » Deus autem, in multitudine potentie sue, fecit ut tanta multitudo coturnicum deferretur in desertum, ut omnibus abunde sufficeret, atque hoc modo mendaces eos ostendit, et ut mendaces terribiliter puni-

Mendaces ostendit sicut de ractoribus Dei potentia

vit, ut dicitur in eodem Psalmo, et fusiis in lib. *Num. cap. XI*. Item lib. *IV Reg. VII*, cum Eliseus propheta tempore gravissime famis dixisset: «Audite verbum Domini, cras modius simila stateri uno vendetur in porta Samarie,» dux quidam respondit: «Eliamsi Deus faciat cataractas in celo, non poterit verum esse quod dicis.» Sed Deus in multitudine virtutis sue mendacem illum ostendit. Vere enim sequenti die tanta fuit abundantia rerum omnium, ut modius simila stateri uno in porta Samarie venderetur; et dux, qui contra Deum mendis fuerat, in ipsa porta conculcatus a populo transeunte miserabilem periiit. Simile est mendacium Judæorum adversus Christum, cum pendenti in cruce insultarent: «Si Filius Dei es, descende de cruce.» Ille autem in multitudine virtutis sue fecit miraculum longe majus, quia surrexit de sepulcro, quod est multo majus quam de cruce descendere. Itaque mendacii coarguit inimicos suos potentia virtutis sue. Posset etiam cum Theodoro dici, «in multitudine virtutis tue mentientur tibi inimici,» hoc significare, multos fore qui mentiantur Deo, se illius esse cultores, ob metum terribilium operum ipsius: multos item Christi fidem, non sincero, sed ficto corde suscepturos propter eandem rationem.

3. OMNIS TERRA ADORET TE, ET PSALLAT TIBI; PSALMUM DICAT NOMINI TUI.

4. VENITE, ET VIDETE OPERA DEI, TERRIBILIS IN CONSILIIIS SUPER FILIOS HOMINUM.

Iterum excitat Propheta universos homines, qui terram incolunt, ad Deum vero corde adorandum et laudandum. Atque ut majore affectu id faciant, hortatur ad consideranda opera Dei, qui terribilis est in consiliis rerum agendaum supra omnes filios hominum.

5. QUI CONVERTIT MARE IN ARIDAM, IN FLUMINE PERTRANSIBUNT PEDE: IBI LETABIMUR IN IP SO.

Ponit duo exempla operum mirabilium Dei,

que nullo humano consilio unquam fieri potuissent. «Qui convertit, inquit, mare in aridam;» hoc est primum opus quod narratur *Exod. XIV*: «Fecit enim Deus, ut siccaretur mare Rubrum, ut filii Israel libere pertransirent.» «In flumine pertransibunt pede;» hoc est alterum, quod refertur *Jos. III*. Rursus enim Deus fecit ut Jordanis fluvius siccaretur, ut filii Israel non ponte, aut navicula, sed pede flumen trajicerent. «Ibi letabimur in ipso,» id est, ubi hæc facta sunt, ibi letati sumus in ipso; non in nobis gloriati sumus, quasi nostra hæc essent opera; sed in Deo letati et gloriati sumus, Deumque laudavimus, ut narratur *Exod. XV*. Utiliter autem Propheta tempore futuro, pro præterito, nisi forte hoc loco uti voluerit verbo futuri temporis, ut indicaret miracula illa præterita fuisse figuras majorum miraculorum futurorum. Majus enim miraculum est, quod homines transierunt mare amarum hujus sæculi, quod in maligno positum est, et transmittant flumen temporalitatis et mortalitatis hujus, que nunquam sicut et plurimos absorbet et suffocat, et perveniunt vivi et salvi ad terram æternæ promissionis, et ibi letantur in ipso Deo ipsum videntes facie ad faciem; et tamen hoc majus miraculum ita facit per gratiam suam Deus, ut multi jam transeant per hoc mare, quasi per aridam, et flumen pertranseant pede, id est, facillime temporalia omnia, sive bona, sive mala despicientes, id est, nec bonis adherentes, nec mala pertimescentes, ut securi perveniunt usque ad ipsam celestem Jerusalem, ubi letabimur in ipso, non spe gaudentes, sed ipso in æternum fruentes.

VERS. 6. 6. QUI DOMINATUR IN VIRTUTE SUA IN ÆTERNUM, OCVLI EJUS SUPER GENTES RESPICIUNT: QUI EXASPERANT, NON EXALTENTUR IN SEMETIPSIS.

Hæc videtur digressio ad impios, qui Deo subijci eumque laudare contemnunt. Eos enim admonet omnipotentie et omniscientie Dei, ut vel timore penæ respiciant. «Qui dominatur, inquit, in virtute sua in æternum,» id est, ille qui ex potentia sua, non aliunde accepta, sed sibi propria, dominatur æterno imperio, is quoque videt omnes gentes, et ex alto speculatur omnia. Ideo «qui exasperant» tam potentem et sapientem Dominum, «non exaltentur in semetipsis,» non superbiunt, non gloriuntur de suis viribus, quia non effugiant manus omnipotentis, et omnia videntis Dei.

VERS. 7. 7. BENEDICITE, GENTES, DEUM NOSTRUM, ET AUDIAM FACITE VOCEM LAUDIS EJUS.

Illa digressione præmissa, repetit exhortationem quam in primo et in tertio versiculo posuerat. Itaque tertio jam invitat omnes gentes ad benedicendum Deo nostro, qui solus est verus Deus, et ad prædicandas laudes ejus tam clara voce, ut ab omnibus audiat

X.

8. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM, ET NON DEDIT IN COMMOTIONEM PEDES MEOS.

Aperit nunc causam cur tanto ardore cupiat Deum ab omnibus laudari, quia videlicet de maximis periculis vitam suam liberaverit. «Qui posuit animam meam ad vitam,» id est, laudari cupio Deum, qui fecit ut anima mea non periret, et qui me titubare et labi non permisit. Hæc dicuntur ab electis, qui post multas variasque tentationes ad portum salutis tandem aliquando perveniunt. Per *animam*, intelligitur totus homo, quod frequens est in Scripturis sanctis; ac, ut alia loca omittamus, in lib. *Gen. cap. XLVI* illud quod sexies ponitur *animam* pro toto homine. Illud autem, *posuit*, significat *ordinavit*, sive *præordinavit*, vel *prædestinavit*, ut sensus sit: Qui me præordinavit ad vitam, sive qui me posuit in numero eorum qui victuri sunt in æternum. Quod autem sequitur: «Et non dedit in commotionem pedes meos,» ad donum perseverantiae pertinet, quod est proprium prædestinatorum ad vitam: quos enim Deus prædestinavit, eos etiam conservat, protegit ac dirigit, ut non cadant ad dexteram, vel sinistram. In hebreo habetur, *animam nostram et pedes nostros*, in numero multitudinis. Sed idem est sensus; nam per *animam meam* et *pedes meos* non intelligitur unus tantum homo, sed unus populus, cœtus videlicet omnium electorum.

9. QUONIAM PROBASTI NOS, DEUS; IGNE NOS EXAMINASTI, Sicut EXAMINATUR ARGENTUM.

Variis metaphoris explicat Propheta tribulationes iustorum, ac primum metaphora fornacis probantis argentum, ut significet justis a Deo perenni tribulatione, non ut ledantur, sed ut probentur, vel probati et puri, sinceri, fideles ostendantur. Ignis enim paleas consumit, argentum et aurum purius reddit; et palea in igne fumat, argentum in igne luget. Hinc angelus sanctus dicit *Tobias cap. XII*: «Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te;» et *Sap. III*: «Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos;» et *Eccl. XXVII*: «Vasa figuli probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis;» et *I Petri I*: «Ut probatio vestre fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniat.»

10. INDXISTI NOS IN LAQUEUM, POSUISTI TRIBULATIONES IN DORSO NOSTRO; IMPOSUISTI HOMINES SUPER CAPITA NOSTRA.

Descendit nunc ad particulares afflictiones sub aliis metaphoris. «Induxisti nos in laqueum,» id est, in captivitatem nos tradidisti hostibus nostris, in vincula, in catenas, in compedes, in carceres. Sicut enim aves et fera, cum laqueis comprehenduntur, libertate sua privantur: ita dicitur possunt homines induci in laqueos, cum captivi

27

effecti, carceribus includuntur, vel calenis et vinculis constringuntur. « Posuisti tribulationes in dorso nostro, » id est, nos more iumentorum onerari et cædi verberibus permisisti: quibus oneribus et verberibus intelliguntur varii labores et dolores, quos Sancti in hoc mundo ab impiis pertulerunt, ut eum ad metalla fodienda, ad marmora secanda, ad onera pro extruendis ædificiis portanda, aliæque id genus laboriosa opera faciendi, non sine flagellis et verberibus adgebantur. « Imposuisti homines super capita nostra, » id est, fecisti ut homines pedibus suis capita nostra calcarent, quasi nobis jure belli devictis et triumphatis. Sed hæc etiam metaphora est, qua per similitudinem conculcationis capitum devictorum significatur tyrannica et crudelis potestas principum in miseros subditos. Nam principes modesti et æqui president quidem capitibus subditorum, sed ita leviter premunt, ut onus obedientie suaviter ferri possit: tyranni vero, et sævi atque inhumani principes, quales erant persecutores christianorum, et quondam Pharao Ægyptius, et Nabuchodonosor Assyrius, ita premunt subditos exactionibus, edictis, penis, ut respirare non possint. Hoc versiculo Prophetam miro artificio personas justorum toto corpore afflictas demonstravit; nam laquei ad manus et pedes, onera et verbera ad dorsum, conculcatio ad capita pertinent.

Vers. 11. 11. TRANSIVIMUS PER IGNEM ET AQVAM, ET EDUXISTI NOS IN REFRIGERIUM.

Hæc est ultima metaphora, qua Prophetam pulcherrimis similitudinibus sub aspectum ponit supplicium Sanctorum. Ignis enim et aqua contraria sunt; ignis ardet, aqua congelatur; ille accerrimus, ista mollissima; ignis desecat aquam, et aqua extinguit ignem: quare si ignis dolore afficit hominem, aqua consolari et mulcere deberet. Et tamen in penam justorum servorum Dei, ignis et aqua conjurasse videntur, ignis consumendo, aqua suffocando. Igitur per ignem intelliguntur acriora supplicia, flagella, vulnera, cædes, combustio; per aquam, supplicia lenta, sed diuturna, ut exilia, carceres, nuditas, famæ. Sanctus tamen Augustinus per ignem intelligit omne genus angustiarum et molestiarum contristantium hominem; per aquam vero omne genus voluptatum et abundantiam temporalium bonorum, quæ spiritum suffocant. Sed sicut ignis consumit lignum, non aurum, sic etiam aqua corrumpit et putrefacit lignum, non aurum; et sicut aurum per ignem purgatur a scoria, sic idem aurum per aquam lavatur a sordibus. Itaque justus et sanctus, qui sunt auro similes, sine detrimento transeunt per ignem et aquam, quia in tribulatione patientiam, in prosperitate modestiam servant. Sed filii hujus sæculi similes ligno putrido in igne consumuntur, in aqua suffocantur, quia impatientes in tribulatione murmurant,

maledicunt, blasphemant; dissoluti in prosperitate mollescent, luxuriantur, superbiunt. Dicunt igitur Electi: « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium, » quoniam etiam in celesti patria non deerunt ignis et aqua, tamen ille ignis calefaciendo recreabit, non comburendo consumet, et illa aqua sitim extinguet, non vitam. Ita utrumque suo modo refrigerabit, id est, erunt in celo ardentes charitatis, erit ignis divinus feliciter consummans, non consumens; perficiens, non destruens; transformans in Deum, non convertens in cineres: erit aquarum abundantia, erit ubertas honorum æternorum, erunt gaudia immensa et ineffabiles jucunditates, sed non mollem, aut pigrum efficient animum, non carnis adversus spiritum concupiscentiam nutrient, denique refrigerando delectabunt, non obruendo suffocabunt.

12. INTROIBO IN DOMUM TUAM IN HOLOCAUSTIS; Vers. 12. REDDAM TIBI VOTA MEA, QUÆ DISTINXERUNT LABIA MEA.

Hæc videtur esse conclusio ex iis quæ dicta sunt, quasi dicat: « Tu eduxisti nos in refrigerium, postquam transivimus per ignem et aquam. Introibo igitur in domum tuam, » id est, ad quam te duce, te defensore perveni. Introibo autem « in holocaustis, » id est, offeram sacrificium gratiarum actionis: holocaustum est enim proprie ad gratias agendas pro acceptis beneficiis. Et vere holocaustum nusquam perfectius offertur quam in celo, ubi Sancti omnes totos se offerunt Deo in igne perfecte charitatis, nulla parte anime repugnante: tota enim actio, totum negotium in celo erit laudare Deum. « Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, » id est, ista oblatio holocausti debita est, quoniam id voti, dum essem in tribulatione positus. Itaque introibo in domum tuam cum holocaustis, ut sic reddam vota mea, quæ non alius pro me, sed ego ipse labiis meis distincte promisi. S. Augustinus more suo ad edificationem populi Psalmi exponens, notat illud, *distinxerunt*, significare distinguenda esse vota, ut placeant Deo. Distinctio autem talis esse debet, ut confiteamur nos Deo indigere, Deum bonorum nostrorum non egere; nos mutabiles, illum immutabilem; nos creaturas, illum Creatorem; nos ex nobis nihil esse, illum ex se perfectum esse.

13. ET LOCUTUM EST OS MEUM IN TRIBULATIONE Vers. 13. MEA.

14. HOLOCAUSTA MEDULLATA OFFERAM TIBI CUM Vers. 14. INCENSO ARIETUM: OFFERAM TIBI BOVES CUM HIRCIS.

Explicat quæ vota voverit in tribulatione sua, et dicit se vovisse sacrificia pinguia omnium pecorum, quæ in holocaustum secundum legem offerri possunt. Ea vero tria tantum erant, arietes,

Quæ of-ferri poterant secundum legem? Sed nomine arietum intelliguntur etiam agni, et nomine boum intelliguntur etiam vituli, et nomine hircorum intelliguntur etiam hædi. « Et locutum est os meum in tribulatione mea, » id est, hoc est, quod dixi: « Reddam vota, quæ distinxerunt labia mea, » quia locutum est os meum dum tribularer, et auxilio Domini indigerem, atque illius opem lacrymis implorarem. « Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, » id est, immolabo tibi agnos pingues et medullis plenos, cum bono odore ex arietibus pariter in holocaustum oblati. « Offeram tibi boves cum hircis, » id est, ad holocaustum agnorum et arietum addam holocaustum vitulorum et hircorum. In textu græco legitur: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus*; et sic legit etiam S. Augustinus, et per *incensum* intelligit thus. Sed S. Hieronymus in epist. ad *Suniam* et *Fretellam* improbat hanc lectionem, et veram lectionem esse dicit, *cum incenso arietum* (ut nos in nostra latina editione habemus), cui concordat lectio hebraica. Per *incensum* autem non intelligitur thus, sed odor qui ex incensis arietum carnibus emanat, qui odor suavissimus dicitur *Levit. i.* Odor autem ex incensis carnibus sacrificiorum suavissimus dicebatur, quoniam figura erat odoris vere ac proprie suavissimi patientiæ et humilitatis, obedientiæ et charitatis Filii Dei, qui ut Patrem glorificaret et mundum redimeret, humiliatus est usque ad mortem, mortem autem crucis, » *Philip. ii.* Dicuntur vero holocausta medullata, quæ offeruntur in coelis, actiones gratiarum, confessiones et laudes ex intimo corde, et ex pinguedine vere charitatis profecta.

Vers. 15. 15. VENITE, AUDITE, ET NARRABO, OMNES QUI TIMETIS DEUM, QUANTA FECIT ANIMÆ MEÆ.

Hortatur in fine Psalmi Prophetam in persona beatorum electorum Dei, nos omnes, ut intelligamus beneficia Dei in Sanctos collata, et quid illi contra rependerint, ut eos imitantes similia beneficia recipiamus, et ad eandem quietem et gloriam aliquando perveniamus. « Venite, inquit, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ, » id est, venite, omnes qui timetis Deum, et audite, et ego narrabo vobis quanta fecit animæ meæ: oratio enim in hebræo et græco textu perturbata est quantum ad ordinem verborum, et latinus Interpres non est ausus ordinem codicum originalium commutare. Vocat *timentes Deum*, quoniam a timore Domini est initium sapientiæ, » *Psaltn. cx.*; ipse solvit pedes, ipse aperit aures: proinde, qui nullo Dei timore tangitur, frustra vocatur, ut veniat, vel ut audiat.

Vers. 16. 16. AD IPSUM ORE MEO CLAMAVI, ET EXALTAVI SUB LINGUA MEA.

Hoc est primum donum Dei, quod animæ suæ

datum dicit electorum cœtus, qui in hoc Psalmo loquitur. « Hoc, inquit, fecit Deus animæ meæ. » Dedit fidem et spiritum orandi. « Quomodo enim invocabunt in quem non crederunt? » inquit Apostolus *Rom. x.* Igitur ex dono fidei cognovi miseram captivitatem, in qua detinebar; cognovi liberatorem et redemptorem, et sic « ad ipsum ore meo clamavi. » Addit deinde secundum beneficium: « Et exaltavi sub lingua mea, » id est, non solum oravi, sed etiam laudavi Deum meum, et pro acceptis beneficiis gratias egi, ut rursus alia mererer accipere, quæ mihi deerant. Atque hoc totum, ut laudarem et orarem, ipse fecit ut facerem. Quamvis autem illud, *sub lingua mea*, vel, *in lingua mea*, idem sit quod *lingua mea*, vel *in lingua mea*, tamen annotavit S. Augustinus fortasse dictum *sub lingua*, ut intelligeretur justum non solum lingua ad aures hominum, sed etiam *sub lingua*, in silentio ad aures Dei, exaltare solitum ipsum Deum.

17. INQUITATEM SI ASPEXI IN CORDE MEO, NON EXAUDIET DOMINUS.

Hoc est beneficium tertium, quod accepit a Domino, ut videlicet Deo illuminante cognosceret quid sit, quod impedit, ne oratio exaudiat. « Iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. » *Aspicere iniquitatem in corde*, est in secreto cordis diligere iniquitatem, sive aspicere ad concupiscendum eam, quomodo dicitur in Evangelio, *Matth. v.* « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam. » Multi enim et verbis et factis videntur odisse peccata, reprehendunt et puniunt peccatores, et ipsi tamen in secreto cordis, tibi nemo videt quid agatur, cum delectatione aspiciunt iniquitatem, et si impune possent, exercebant. Hos hypocritas non exaudit Dominus, sed eos exaudit, qui ex corde iniquitatem odio habent, et si forte peccant, confitentur peccata sua, et medicum querunt, a quo sanantur. Et quoniam tales sunt omnes electi, ideo subiungit Prophetam in persona populi electi:

18. PROPTEREA EXAUDIVIT DEUS, ET ATTENDIT VOCI DEPRECATIONIS MEÆ.

« Propterea exaudivit Deus, » quia ipse scrutatur corda, et vidit mihi serio displicere peccata, meque non « aspicere iniquitatem in corde, » sed faciem cordis avertere ab omni iniquitate. « Et attendit voci deprecationis meæ, » quia vidit me attendere voci preceptorum suorum, non voci serpentis prævaricationem suadentis.

19. BENEDICTUS DEUS, QUI NON AMOVIT ORATIONEM MEAM, ET MISERICORDIAM SUAM.

Ergo « benedictus sit, » et in perpetuum laudetur « Deus, » qui tanta fecit animæ meæ, quorum summa est, « quod non amovit a se orationem meam, » nec amovit « a me misericordiam suam. » Ita misericordia ejus perseveravit me-

cum, perseveravi et ego in via mandatorum ipsius, et perseverantiae primum jam obtinui, liberationem a captivitate, et reditum in caelestem Jerusalem. S. Augustinus paulo aliter exponit, et quamvis fortasse non omnino ad litteram, tamen utilissime ad mores. Vult igitur, illud, *non amovit deprecationem meam*, sic intelligi, *non amovit a me deprecationem meam*, id est, fecit ut non intermitte-

rem unquam orationem, et per hoc implem dominicum praeceptum: « Oportet semper orare, et nunquam deficere, » *Luc. xv.* Est autem insigne donum Dei, perseverantia in oratione, quia securum reddit hominem de perseverantia miserationis. Cum videris, inquit S. Augustinus, non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus.

## PSALMUS LXVII.

## SECUNDUM HEBRAEOS.

V. v. — *In finem*, 1. *In hymnis*, *Psalmus Cantici David.*

2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

3. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

4. Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes, quoniam iudicas populos in aequitate, et gentes in terra dirigitis.

6. Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes: 7. terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, 8. benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.

*Argumentum.* — Optat vates totius populi nomine, ut ipsis faveat Deus et benigne faciat, quo nimirum ceteri populi ad nominis divini cognitionem ac prædicationem excitentur. Fusum videtur carmen occasione large messis. Stropha tres: vers. 2-3, rebus nostris favet nobis, ut ejus benignitatem cognoscant omnes populi; vers. 4-5, Deum celebrent omnes populi, quod ipsos recte iudicat et gubernat; vers. 6-8, quod terra reddidit fructum suum.

1. Præcatori, fidibus, Psalmus canticum.

2. Deus propitius sit nobis et benedicat nos, lucere faciat faciem suam nobiscum:

3. Ut cognoscant in terra viam tuam, inter omnes populos auxilium tuum.

4. Celebrent te populi, Deus, celebrent te populi omnes.

5. Lætentur et jubilent nationes, nam iudicas populos recte, et nationes in terra ducis eas.

V. s. n. — *Victori*, in *Psalmis* [*h. Carminibus*], *Canticum* [*h. Psalmus*] *carminis.*

Deus misereatur nostri, et benedicat nos [al. *nobis*]: illustret faciem suam super nos. SEMPER.

Ut nota fiat in terra via tua: in universis gentibus salus tua.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, et laudent gentes [*h. plebes*], quoniam iudicas populos in aequitate, et gentium [*h. plebium*] quæ in terra sunt, ductor es. SEMPER.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit germen [al. *fructum*] suum: benedicat nobis Deus Deus noster.

Benedicat nobis Deus, et timeant eum omnes fines terræ.

6. Celebrent te populi, Deus, celebrent te populi omnes.
7. Terra dedit proventum suum, benedicat nos (pergat nos benedicere) Deus, Deus noster.
8. Benedicat nos Deus, et timeant (venerentur) eum omnes fines terræ.

## NOTE.

Vers. 3. *Ut cognoscant, vel ut cognoscatur. Viam tuam*, tuam agendi rationem cum tuis cultoribus. — Vers. 5. *Recte, propr. rectum*: duplex accusativus. Maurer, et *nationes* latentur, quod in terra eas gubernas.

## BELLARMINI EXPLANATIO.

## PSALMUS LXVI.

## TITULUS ET ARGUMENTUM.

*In finem, in hymnis, Psalmus Cantici David.*

In hebræo codice non habetur nomen *David*, et ideo non desunt qui auctorem hujus Psalmi nollant esse Davidem: sed cum in codice græco et latino habeatur, et sic legant Hilarius, Hieronymus, Augustinus, et alii in Commentariis in Psalmos, credibile est, aut ex codice hebraico vocem illam excidisse, vel a Septuaginta Interpretibus additam fuisse, ne quis suspicaretur Psalmum non esse a Davide compositum, quia non legatur nomen ejus in titulo. Argumentum Psalmi est expressio desiderii vehementis, quo David tenebatur videndi adventum Messie, et redemptionem generis humani, juxta illud *Luc. x*: « Multi prophetae et reges voluerant videre quæ vos videtis, et non viderunt: » existimo enim Dominum loqui de prophetis, qui simul etiam reges fuerunt; alioqui non dixisset: *Multi prophetae, sed omnes Prophetae.* Nominis autem *regis* intelligendi videntur omnes principes, qui regnum jus in populum suum habebant, quales fuerunt Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, et alii qui simul prophetae fuerant, et Christum videre desideraverunt: sed inter omnes excellit David, qui proprie rex et propheta fuit, et desiderium Messie in multis Psalmis expressit, sed in hoc potissimum, qui totus in hoc desiderio explicando consistit.

## EXPLICATIO PSALMI.

Vers. 1. **1. DEUS MISEREATUR NOSTRI, ET BENEDICAT NOBIS: ILLUMINET VULTUM SUUM SUPER NOS, ET MISEREATUR NOSTRI.**

Vox optantis et desiderantis est, quasi dicat: Utinam « Deus misereatur nostri » secundum magnam illam misericordiam, qua mittit ad nos, quem missurus est, et ex hoc affectu misericordiae paternæ « benedicat nobis; » benedictio autem sit non solum ubertas temporalium rerum, sed « illuminatio vultus sui super nos. » Illuminatio vultus Dei super nos multa significare potest. Primum enim dicitur Deus *illuminare vultum suum super nos*, quando remotis nubibus ira et indignationis, sereno vultu nos respicit ut filios, ut amicos, ut ad gratiam revocatos. Deinde dicitur etiam *illuminare vultum suum super nos*, quando nos illuminat et calefacit, sapientiam et charitatem infundens, quomodo sol iste corporalis facere solet, quando nullis nubibus tegitur. Denique dicitur *illuminare vultum suum super nos*, quando præstat ut eum, quasi remoto velamine, intueamur: quod maxime præstitit, quando per

incarnationis mysterium « in terris visus est et cum hominibus conversatus est, » ut dicitur *Baruch. viii.* Atque hoc videtur hoc loco petere sanctus Propheta, ut Deus vultum suum, si non in forma Dei, saltem in forma hominis nobis ostendat. Quod etiam petit cum ait in *Psalm. lxxix*: « Qui sedes super Cherubin, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. » Et quoniam hæc est misericordia quam initio petit, ideo repetit: « Et misereatur nostri, » id est, et sic, illuminando videlicet vultum suum super nos, misereatur nostri. In hebræo non habetur hæc repetitio, et *misereatur nostri*, neque legitur a S. Augustino et S. Hieronymo: tamen habetur in codice græco, et legitur a S. Hilario, ab Euthymio et aliis.

2. **UT COGNOSCAMUS IN TERRA VIAM TUAM, IN OMNIBUS GENTIBUS SALUTARE TUUM.**

Hæc est ratio, cur tanto ardore desideretur illuminatio vultus Dei, ut in lumine illo divino cognoscamus in hac terra tenebrosa viam Dei, id est viam ad patriam, a qua tandem peregrinamur ambulantes in tenebris et umbra mortis; hæc au-

Multis modis Deus dicitur illuminare vultum suum super nos.